Quapropter nullus hominum eum praecedit. et retro eum esse facit. nisi qui de
ponens imaginem terreni hominis. portauerit imaginem caelestis. Iam
uero si quod dictum est. Inimicum meum generaliter peccatorem uel gentilem quidem
hominem magis (uult) accipere. non erit absurdum. nec poena erit quod dictum est.
In conuertendo inimicum meum retrorsum. Sed beneficium. & tale bene
ficium ut huic comparari nihil possit. Quid enim beatius quam deponere
superbiam. & nolle Christum praecedere. (clos sa) uelut sanus sit. cum medicus ei non sit
necessarius. Sed malle retro ire post Christum. qui discipulum uocans. ut
perficiatur. dicit. ueni sequere me. Sed tamen accommodatius de di
abolo dictum intellegitur. In conuertendo inimicum meum retrorsum.
Diabolus quippe. retrorsum conuersus est. &iam in persecutione
iustorum. et multo utilius persecutor est quam si dux & princeps prae
ir&. Psallendum est igitur nomini altissimi. In conuertendo inimicum
meum retrorsum. Quo malle debemus eum persequentem fugere quam
ducentem sequi. habemus enim quo fugiamus. & abscondamur in oc
cultis filii. quia adiutor refugium factus est nobis. Infirmabuntur &
peribunt a facie tua. Qui infirmabuntur nisi iniqui & impii. In
firmabuntur dum nihil ualebunt. & peribunt. quia non erunt impii.
a facie dei. id est a cognitione dei. Sicut periit ille qui dixit. Viuo autem iam
non ego. uiuit autem in me Christus. sed quare infirmabuntur. & peribunt
impii a facie tua. Quoniam fecisti iudicium meum. & causam meam. Id est iudi
cium illud. quo iudicari uisus sum meum fecisti. Et causam illam in
qua me iustum & innocentem homines damnauerunt meam fecisti.
Haec enim ei militauerunt ad nostram liberationem. sicut & nautae
dicunt uentum suum quo utuntur ad beneuentum gaudii. Sedisti su
per thronum qui iudicas aequitatem. Siue filius patri dicat qui
&iam illud dixit. Non haberes in me potestatem. nisi tibi data fu
isset desuper. Id ipsum ad aequitatem patris. & ad occulta sua
referens. quod iudex hominum ad utilitatem hominum iudicatus est.
Siue homo dicat deo. Sedisti super thronum qui iudicas aequitatem.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 162, p. p.%2071 – First volume of a six-volume commentary on the Psalms by St. Augustine (http://www.e-codices.ch/en/csg/0162/p.%2071)